

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Syntagma Inaugurale Medicum De Haemostaticis  
Mechanicis**

**Krimping, Foko Thaddaeus Krimping, Foko Thaddaeus  
Halae, MDCCCLXXXXVII**

**VD18 10172416**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-13735**

SYNTAGMA  
INAUGURALE MEDICUM  
DE  
**HAEMOSTATICIS**  
**MECHANICIS,**

---

QUOD  
CONSENSU  
FACULTATIS MEDICAE,  
PRAEMISSA  
SOLEMNI AD THESES QUASDAM  
DISPUTATIONE,  
UT  
**GRADUM DOCTORIS MEDICI**  
LEGITIME CAPESSAT,  
DOCTORUM EXAMINI SUBMITTIT  
AUCTOR  
**FOKO THADDAEUS KRIMPING,**  
FRISO ORIENTALIS.


---

HALAE,  
TYPI TRAMPIANI.  
c:o I:o cclxxxxvii:





## Farbkarte #13



---

DE  
H A E M O S T A T I C I S  
MECHANICIS.

---

§. 1.

**U**nique medico cognitio perfecta haemostaticorum eo magis necessaria est, quo majorem haemorrhagiae terrorem sui facere, quo breviori nonnunquam tempore aegrotos interficere solent, et ea ex re mox varium, pro varia haemorrhagiarum conditione, auxilium poscunt.

Metus aegroti, bella jam antiquissimis temporibus gesta, et periculum urgens adeo experimenta cum haemostaticis instituta augebant, ut nulla pars materiae medicae locupletior sit farragine remediorum cuiusvis generis, quam haemostaticorum familia.

Fabulosa antiquitas CHIRONEM magistrum celeberrimorum sui aevi virorum ostendit.

A 2 dit.



dit. MACHAONEM et PODALIRIUM, AESCULAPII filios, Chironis discipulos, fauciatos in Trojano bello milites tanta dexteritate tractasse, ut omnibus belli oneribus eos liberaverint duces Graecorum, narrat BIODORUS<sup>1)</sup>.

Solebant autem, ut haemorrhagias fistarent, ἡπια Φάρμακα, mites herbas, quas patrem docuerat CHIRON, ἐπιτάσσειν. (Il. IV. v. 217.) Adstringentia quoque interna adhibebant, exemplo MACHAONIS ipsius fauciati, qui Pramnum vinum austерum atque adstringens bibit (Il. XI. 630.), de qua diaeta consule SPRENGELIUM in *Beytr. zur Gesch. der Arzneyk.* St. III. S. 43.

Cum meum autem non sit, historiam sanguinis fistentium conscribere, ad rem ipsam progrediar.

Methodum sanguinem fistendi a medicis recentioris aevi emendatam esse nemo negare potest; attamen in quovis fere remedio haemostatico quidquam desideratur. Praeter sanguinis stasin, inflammations, dolores, alios

1) Lib. IV. p. 273.

alios etiam noxios effectus alia hujusmodi remedia producunt: alia in quocunque sanguinis profluvio, accidente aliena causa, admitti non possunt. Ipsam neque ligaturam, quam quidem medici certissimum habent remedium, ut generale respici debere affirmat **ACRELLIUS** 2). Narrat enim octavo die post operationem anevrysmatis spurii in brachio, ligaturam solutam fuisse, ac aegrotum fluxu sanguinis periisse.

Qua de causa, et praecipue consilio celeberrimi **REILII**, praceptoris mei ad cineres usque colendi, commotus in examen revocare haec remedia regulasque eas proferre, quas sequi possimus in adhibendis haemostaticis, mecum constitui. Sed, cum neque tempus, neque locus mihi permittant, omnia quae ad sanguifluxus fistulos usurpata sunt, describere, de iis solis agam, quae vulgo nominantur haemostatica mechanica.

§. 2.

2) Abhandl. der Schwedischen Akademie der Wissenschaften.

## §. 2.

**D**octrina mechanicorum haemostaticorum, ea tractat remedia quae sanguinem ob physicas qualitates, pondus, compressionem a gravitate et cohaesione pendentem, fistunt. Difficile quidem est, limites inter mechanica et ea definire haemostatica quae vitali modo, agendo nempe in vires vitales, sanguinem fistunt, cum plura sint, quorum effectus, et physico et vitali processu, explicari possint. Nihilominus tamen omnia ad sedandas haemorrhagias, mechanica aut physica, in sequentes dirimi posse classes mihi videntur.

1) *Conglutinantia.*

2) *Compressiones.*

3) *Ligaturae.*

**C**auteria, Styptica sic dicta, atque adstringentia huc referri non possunt, quia tum mutationem mixtionis, tum vitalium virium alienationem producunt. Namque adstringentia videntur oxygenes principium augere, cuius ope cohaesio firmatur: videntur tamen etiam in vires vitales immediate agere.

## §. 3.



## §. 3.

Veteris aevi Chirurgi absorbentibus et terreis remediis, gypso, cineribus, bolo armena, terra sigillata, aliisque ad sedandum sanguinem utebantur. APOLLOPHANES, Antiochi magni medicus, ischaemum celebre inventit, quod GALENUS 3) describit, quodque ex terra calcarea aliisque remediis terreis constabat.

HIPPOCRATES nihil simile adhibuit. Ischaema ejusdem solis fere deligationibus constabat: quem morem, diligandi artus in haemorrhagiis, sequuti quoque sunt ERASISTRATUS, HEROPHILUS, XENOPHON, HERACLIDES TARENTINUS et THEMISON Ladicenus 4). GALENUS arida medicamenta et emplastra ad coercendum sanguinis profluvium suadet.

SWIETENIUS, magnus BOERHAAVII commentator, inquit: „Sunt praeterea alia remedia quae licet non sanguinem ade concrescere faciunt, ejus tamen effluxum cohinent;

3) De compos. sec. genera. lib. V. cap. 15. p. 511.

4) Cael. Anrel. de tard. pass. lib. II. c. 13.

„bens; unde hoc respectu adstringentium no-  
„men merentur. Talia sunt farina volatilis  
„molitorum, gypsi pulvis et similia bibula  
„corpora 5).

## §. 4.

Transeo nunc ad haemostatica *glutinosa*.  
Natura artis fida magistra plurimis in morbis,  
et praecipue in sanandis haemorrhagiis, medi-  
co viam agendi commonstrat.

Ex angustato vasis laezi ostio lympha coa-  
gulabilis exsudat, coagulatur, thrombus na-  
turalem format, et vasis ostium arctissime oc-  
cludit. Apud antiquissimos auctores vesti-  
gia sedatarum sanguinis profusionum ope  
conglutinantium remediorum reperiun-  
tur. RHAZEUM, medicum Arabem, vul-  
nera vasorum haematophororum ope reme-  
dii ex albumine ovorum et myrrha compositi  
et glomerum ex telis araneae, sanasse inveni-  
mus 6). Apud Romanos viguit usus, coch-  
leas exhibendi, quas quidem glutinis natura-  
lis

5) Commentar. in aphorism. Boerhaavii. tom. I. p. 346.

6) Rhaz. divisi. c. 139. f. 75. b. (ed. Gerard. Cremon. fol. Venet, 1500.)



lis habere et compaginandi virtutem autumat *Caelius AURELIANUS* 7). Ita etiam gummi tragacanthæ ubique admiscet haemostaticis.

Methodicorum opinionibus maxime respondebant glutinosa, ad haemorrhagias fistendas. Secundum axioma eorum, contrariis esse esse opposenda contraria, communitatem tali modo impleri posse credebant, ut deperdita portio apponeretur. *Paulus HERMANNUS* inquit 8): „Laudatur Gummi Arabicum in haemoptysi, mictu cruento, aliisque fluxibus; „conducit in conglutinandis vulneribus, nec „non ad immodicas gingivaram cruentationes: „haemorrhagias praeterea fistit.“ Tragacantha gummi itidem laudat, quod haemorrhagias mitget. Sed plerumque hac via naturam sequi, usque ad nostra tempora ars parum experta est. Nostro autem aevo conglutinantia haemostatica praecipue iterum commen-

dave-

7) De tard. pass. lib. II. cap. XIII. pag. 405. Edit. Amstel. 1755.

8) Cynosura materiae medicae, Tom. I. p. 714. Argentor. 1786.



daverunt, *Angli BELLUS* 9), *BROMFIELDIUS* 10), *LEWIS* 11) et *HILLIUS* 12). Inter Gallorum chirurgos *PETITUS* 13) ea praedicavit. Nec Germani medici experimenta ad glutinosorum usum evincendum neglexerunt: *STEIDELIUS* 14), *BATSCHIUS* 15), *SCHMUCKERUS* 16), *MURRAYUS* 17), *KRAUSIUS* 18) scriptis suis ea quam maxime laudaverunt. Nullus autem omnium tantam inquisitioni hujusmodi et experimentis impendit operam, quam celeberr. *REILIUS* 19). Antea quidem plurima nota erant, tamquam rudia et variis quasi laciniis digesta invenie-

ban-

9) System. of Surgery, vol. I. p. 54.

10) Chirurgical observations. vol. I. p. 79.

11) Materia medica, p. 332.

12) Cases in surgery, p. 64.

13) Mémoires de l'academie royal. des sciences à Paris, 1732. pag. 75.

14) Abhandl. v. den Blutflüssen, Wien 1775. p. 28.

15) Arzneimittellehre, S. 210.

16) Vermischte chirurgische Schriften, Th. I. S. 270.

17) Appar. medicaminum, vol. II. p. 100.

18) Abhandl. v. den Blutflüssen, Leipzig. 1703.

19) Memorab. clinicor. vol. II. fascicul. I. pag. 1; Halle 1792.

bantur. Omnia collegit, examinavit et effectus eorum accurate determinavit. Quae cum ita sint, paucis haec adhuc adumbrem mihi reliquit praceptor.

§. 5.

Conglntinantia, quae natura' nobis praebet, aut in regno vegetabili, aut animali inveniuntur. Regni vegetabilis remedia glutinosa vel gummata pura vel resinae, vel gummata resinosa vel corpora variis principiis composita sunt.

1. *Gummata pura.*

Chemia 20) ostendit gummata pura, sucros viscidos, albos, induratos, pellucidos, odoris expertes, calore non liquefcentes, aqua solubiles, spiritu vini non solubiles esse. Praestantissima sunt ob has qualitates inter omnia glutinosa haemostatica. Blanda sunt, nullo modo stimulant, ideoque ab unoquoque recenti, atque sensibili vulnera facile ferentur. Cum neque inflammationem, dolores aliaque symptomata nervosa augeant, sicut fere omnia

irri-

— 20) *Gren's Handbuch der Chemie*, Th. 2. §. 1162.  
p. 135. ed. 2.

irritantia, generationi thromborum non adversa sunt. Haec enim coagula sanguinis ab adfluxu aucto attenuantur, teste autem HEWSONIO 21) lentiori motu sanguinis producuntur.

Gummata pura involvunt, dolores leniunt, et nudatos nervos obtegunt. Praecepue ad usum externum ea sunt eligenda Gummata, quae blanda maxime conglutinant. Plurima autem virtute conglutinante experientia duce gaudent sequentia.

A. *Gummi tragacanthae.*

Hoc gummi colligitur ex *astragalus tragacantha*, frutice per omnem Syriam, et in aliis Orientis regionibus enascente. Constat minutis albidis fractura splendentibus frustulis, quaeque in formam vermicularem torquentur. Tragacantha constat partibus mucilaginosis, attamen parum collae continet 22): ideoque majorem aquae quantita-

tem

22) *Gren's Handb. der Pharmakologie*, Th. I., p. 362.

21) *Hewson Versuche mit dem Blute und dem Grade der Hitze ect.* In den auserlesenen Abhandl. zum Gebrauch praktischer Aerzte. Band. I. Stück. 2.



tem ut triturari possit, quam gummata pura, poscit. Indurata magis cohaeret. Subtiliter comminuta experimentis celeberrimi NEL-  
LII firmius partibus solidis adhaeret quam caetera gummata. Ideoque in gravioribus vulneribus, praecipue iis, quorum sanguis ferosior atque tenuior est, preferendum esse videtur. Gummi tragacanthae spadicei coloris sive *Gummi de Bassora* nunquam applicari debet.

B. *Gummi arabicum ex Mimosa nilotica.*

Invenitur in Arabia, in Nubia et Aegypto. Rotundis asperisque constat frustulis flavescens, fractura splendentibus, quaeque luci pervia, insipida, odoris expertia atque aqua solubilia sunt. A multis ob praestantissimas haemorrhagiarum fistendarum virtutes laudatur. KRAUSIUS, STEIDELIUS, REILIIUS atque GRENIUS in praelectionibus pharmacologicis, commendant. Saepe saepius in vulneribus recentibus Gummi arabico usus sum, celerissimos atque praestantissimos effectus vidi, et nunquam applicavisse poenituit.

Tri-



Triturando subtilissime comminuitur,  
atque brevi tempore in minore aquae quan-  
titate solvitur. Soluta pura est mucilago,  
irritabilitatem non auget, thrombum ge-  
nerat, atque fluxum sanguinis sufflaminat.

**C.** *Gummi Senegal ex Mimosa senegal:*  
eadem patria cum Gummi arabico gaudet.  
**A**ntecedenti fere simile est. Pellucidus, et  
magis albidum, ideoque ab aliis **Gummi**  
arabico praefertur. Eosdem habet effectus,  
ideoque easdem indicationes.

**D.** *Gummi sponte ex arboribus indigenis,*  
prunis, pyris, cerasis, aliisque exsudat,  
ob impuritatem autem **Gummi** arabico  
postponendum est.

Praecipua haec sunt **Gummata**, scopo  
nostro idonea. Praeterea alia inveniuntur,  
quorum partes constitutivae praecipuae qui-  
dem gummosae sunt. Sed ob mixtionem  
principiorum aliorum e. g. acrimum, adstrin-  
gentium, tuto adhibere non possumus. Re-  
linquamus ista, sicut et mucilagines arte ex  
pluribus herbae radicibus et semenibus para-  
tas: mucilagines nimirum ex *Antirrhino*

*Lina.*



*Linaria, ex Trigonella Foenograeco,  
Plantagine Psyllio, Pruno Cydonia, Or-  
chidibus variis, Althaea.* Propter pree-  
gressorum Gummatum usum in fistendis haem-  
orrhaginis superfluae sunt.

Ad alteram classem medicamentorum  
conglutinantium nunc progredimur.

§. 16.

2. *Resinae purae.*

Resinae purae essentialiter a mucilagini-  
bus et gummatis differunt. Exsudant,  
vel effluunt ex quibusdam plantis, ab aëris  
contactu durae evadunt; in aqua non solvun-  
tur, in spiritu vini autem diffluunt. Prae-  
terea gravem habent odorem, aliasque vir-  
tutes, quibus a gummatis distinguuntur,  
quamvis iisdem quoad formam externam mi-  
nime sint dissimiles. Remotiores partes sub-  
stantiales plurium plantarum constituunt,  
quae ope artis, vel liquefaciendo, excoquen-  
do, aut accedente spiritu vini extrahendo,  
elicuntur.

A va-



A variis medicis resinae in haemorrhagiis fistendis laudibus praedicantur. KRAU-  
SIUS eas haemostaticam efficaciam habere censet, gummosis tamen postponit medica-  
mentis STEIDELIUS.

Virtutes earum in coercendis sanguinis profusionibus testatur BROMFIELDIUS, pul-  
vere colophonii haemorrhagiam amputati membra vasorum minorum se sedasse narrans.  
REILIIUS certis conditionibus resinosa quo-  
que gummosis praefert.

Sed ne limites transgrediar, succincte effectus earum mechanicos recensebo. Resinae a fero non solvuntur, illud itaque magis viscidum reddere nequeunt, ideoque thrombum articiale non generant. Spi-  
ritu vini mixtae, partibus fauciatis arcte adhaerent, sanguinisque profluvium fistunt. Stimulant autem, nec blanda constituunt vulneraria; eamque ob causam in omnibus vulneribus adhiberi non possunt. Resino-  
sa medicamenta eo potissimum nomine ante-  
cellunt mucilaginosa, quod aqua non sol-  
vantur, ideoque locis natura humidis ido-

nea



nea fint. Vulnera cavi oris, palati, linguae atque gingivae majori secretione salivae conjuncta sunt. Quae Gummata pura solvit, atque abluit. His in vulneribus igitur resinae spiritu vini humectatae gummosis sunt praeferrandae. Resinae purae optimae sunt.

Exquisitas nunc pertractamus resinas:

**A. Colophonium ex cocta ac fusa terebinthina paratur; unde colorem adipiscitur fuscum et odorem empyreumaticum. Laudatur adversus sanguinis profusiones a KRAUSTO, STEIDELIO et REILLO. Semper spiritu vini adspersum adhiberi debet.**

**B. Gummi Mastiches ex Pistacia lentisco.**  
Nobis apportatur ex insulis Archipelagi, Italia Sicilias et Hispania. Resina est et granis constat flavescentibus fractura splendentibus, quaeque odorem atque saporem habent aromaticum. Hac de causa Colophonio postponendum est. Nimis enim irritat, et inflammaciones producit.

**C. Sanguis draconis ex Calamo Rotang, Pterocarpo Dracone, Dracaena Dracone, imo Crotonis quibusdam specie-**

**B. bus.**

bus. Advehitur ex India orientali, Java, Sumatra; America australi, insulis Canariensibus, et novo Belgio. Extillat ex truncis aut ramis vulneratis *Pterocarpis* et *Calami*. Fortassis ipsum *cinnamomeum* *dioscoridis* (lib. V. c. 109. p. 357.) quod Cinnabaris speciem putat, atque ex Africa advehi narrat, nostrum fuit remedium. Constat frustis magnitudine nucis juglandis, purpureis fractura splendentibus, quaeque insipida atque odoris expertia sunt. A *CLOSI* et *BAUHINI* temporibus inde ob virtutem adversus sanguinis profusiones laudes meruit. Laudatur ab his, ab aliis rejicitur. Omni vi carere styptica *GRENIUS*<sup>23</sup>), neque ullo modo colophonio posse praeferrri *REILIIUS* autumat<sup>24</sup>).

Praeterea multae inveniuntur resinae, quae quidem spiritu vini glutinosum consti- tuunt remedium, sed ob earum acres atque aethereas partes nemini commendatae ve- niunt.

23) Handbuch der Pharmacologie. Th. I. p. 240.

24) L. c. p. 21.

niunt. Idem valet de Balsamis, quibus ad-  
huc accedit quod aegre siccescant.

## §. 7.

Medicamenta variis principiis composita  
attamen sanguini sistendo inservientia:

1. *Gummi-resinae* ab aliis quidem laudantur;  
cum vero neque aqua, neque Spiritu vini  
solubiles sint, et praeterea plurimis inhae-  
reat principium acre, quod vulnera inflam-  
mat, omittendae esse videntur. *Gummi*  
*farcocollae* ex *Penaea mucronata* autem  
praeteriri non debet. Ex Aethiopia advehi-  
tur, et consistit granis horridis flavescenti-  
bus rubris, odore expertibus et quibus inest  
fapor dulcis, atque amariusculus. Pars  
gummosa resinosa partem antecellit, ideo-  
que cum aqua constituit gluten firmius.  
Vulneribus tenacius adhaeret, sed ob fapo-  
rem amariusculum atque acrem ceteris gum-  
matibus postponendum.

De hoc remedio *HILLIUS* ita judicat:  
„Est Gummi resina, quae proxime accedit ad  
„pura gummata, olim magnopere laudabatur  
„ad consolidanda vulnera, et inde nomen sar-

„cocolla.“ DIOSCORIDES jam describit *σαρκοπόλλην*, lacrimam arboris *Perficae* subfulvam, quae conglutinantem vim habeat (Lib. III. c. 99. p. 217.) Idem repetit PLINIUS (lib. XIII. c. 11.) et GALENUS (de facult. simpl. medic. lib. VIII. p. 122.). Recentiores vero medici, e. g. MARCELLUS Burdigalenfis, commutarunt sarcocollam cum AGRIMONIA *Eupatoria*, quae κολλητικὴν habere virtutem inde dicebatur, qua tamen, si res ad verum exigatur, caret. (Cf. Salmas. de homonym. hyl. iatric. c. 106. p. 163.)

2. *Farina* et praesertim, ob majorem Collae quantitatem, *triticea*, aquosis partibus liberata et adhibita, serum sanguinis absorbet, orifia vasorum obducit et effluxum sanguinis stagnare jubet. Huc quoque et *amyrum* referre possumus; palmam autem gummatibus non praeripiunt.

Praecipua nunc haemostatica regni vegetabilis enumeravimus, restant adhuc glutinosa animalia.

§. 8.

## §. 8.

Gluten animale ex diversis corporis animalis partibus coctum aqua extrahitur. Extractum hoc gelatinosum evaporatum leni igne ad siccitatem usque inspissatur. Hujus generis inter glutina animalia summa laus impertitur *Ichthyocollae*, quae paratur ex lotis probe atque convolutis vesicis *Gadi* *Morrhuæ* et *Acipenserum stellati* et *sturionis*\*). Solutio hujus spiritu vini peracta longe fortissimum efficit gluten. BERNSTEINIUS hanc solutionem ad injectiones in Haemorrhagia narium quam maxime commendat<sup>25)</sup>.

Huc et *albumen ovorum* pertinet. Cum autem haec glutina nisi humida applicari non possint, iis solum casibus adhibenda sunt, ubi locus et dolores alia applicare non permitunt, e. g. in haemorrhagiis intestini recti, uteri.

## §. 9.

Enumeratis praecipuis remediis, quae fanguinis profusiones sedant, conglutinantes,

\*) Memorias de historia natural, por Payva, p. 16.

25) Chirurg. Wötterbuch. I Th. p. 276.

bus, pauca quaedam de eorum applicanda.  
rum ratione dicenda sunt. Licet enim appli-  
catio eorum facilis sit, nemo tamen legitime  
procedet, nisi qui sequentes servaverit re-  
gulas:

- 1) *Vulnus, quantum fieri potest, siccum es-  
se debet. Hoc vel pressione idonea, vel  
applicatione torcularis fieri potest. Quae-  
dum negligatur regula, remedia pulveris  
forma applicata effusis e vasculis humorì-  
bus inundantur, nimirumque diluuntur,  
neque tanquam conglutinantia sat valide  
agunt.*
- 2) *Conglutinantia plurimis casibus adhiben-  
da sunt forma sicca egregieque comminuta.  
Ita enim fit, ut lymphaticis atque serosis  
humoribus exfudantibus resolvantur, ut  
siccatis rursus arctissime tunc vulneribus  
adhaereant et vascula nimis aperta obse-  
rent.*
- 3) *Experientia duce conglutinantium virtus  
misticione quarundam materiarum solidarum  
augetur atque concentratur. Conglutinan-  
tibus enim fulcrum praebent, ac tanquam*

*inter*



inter duos parietes occludunt. Remedia  
haec adjuvantia maxime commendanda  
funt :

- A. Lintea vasa atque carpta molliora, glo-  
meribus, plagellis seu *πτύχαις*, prac-  
primis applicanda.
- B. Panni sericei carpti.
- C. Gossypium.
- D. Pili leporum molles, quos jam com-  
mendavit **GALENUS**.
- E. Tomentum quarundam plantarum.
- F. Spongia marina tenuissima et bene ex-  
cocta.
- G. Agaricus quercinus bene praepara-  
tus.
- H. *Lycoperdon bovista*, omnium mol-  
lissima compage gaudet, aquam non at-  
trahit. Spiritu autem vini cohaeret et  
ab eo partim resolvitur, ideoque lintea  
carpta iis casibus bovistae praferenda  
esse videntur, si resina spiritu vini hu-  
mectata imponatur. Dum vero gumma-  
tibus utimur, mollis et tenera bovista  
confert.

4) Quar-



4) Quarta, quae restat, regula, quamque  
probe observare debemus, lenem complecti-  
tur pressionem. Compressio enim virtutem  
conglutinantium auget eorumque in sisten-  
dis haemorrhagiis efficaciam multis modis  
felicitat.

## §. 10.

Cum nobis tot tantaque sint in materia  
chirurgica remedia, quae sanguinis profusioni-  
bus mederi possunt, inquirendum mihi adhuc  
videtur, in quibus haemorrhagiis congluti-  
nantia ceteris haemostaticis anteponenda sint.  
Indicantur igitur tuto atque secure in omni  
haemorrhagia mitiore atque recenti, quae-  
que non a statu putrido provenit, et quidem  
sufflaminationem sanguinis sed nequaquam  
ligaturas, torcularia aut alia requirit reme-  
dia heroica. Hanc haemorrhagiam gummata  
cum corpore molli atque elastico quodam  
applicato aequa supprimunt, ac acida, spiri-  
tuosa aliaque styptica; quae vulnus nonnun-  
quam in aegroti damnum irritant. Gumma-  
ta quoque opem ferunt in iis gravioribus  
haemorrhagiis, quae ut sistantur, glomera,

πτύχη



*πτυγματα*, vel gradatos pannos, aut fascias postulant, vel glutinando, vel firmando, et nunquam nocent.

In haemorrhagia dentium plurimis quidem casibus natura, dente protruso hanc haemorrhagiam fistit; in praxi tamen saepe contingit, ut haemorrhagia vires exauriat, imo aegrum interimat. Arteria enim maxilaris in Canali osseo decurrens saepe ob adhaesione, atoniamve, se contrahere et sanguinis fluxum fistere non potest. Canalis osseus fasciarum applicationem et compressiones protinus prohibet. Vulgaria styptica, velut spiritus vitrioli, spiritus vini et alia semper adhiberi non debent, ideoque plures medici obserandum esse alveolum linamentis carptis, spongia marina, vel bovista ope turundae valentius compressis commendaverunt, nec maxillas compressas ope fasciae capiti obvolutae firmare obliti sunt. Alii splenia gradata hunc ad scopum adhibuerunt. His remediis quidam glutinantia addunt, Celeberr. REILIIUS agarico cum gummi tragacanthae et arabico immisis duas curabat felicissime

den-



dentium haemorrhagias, quae omnibus stypticis diu jam adhibitis resistebant. In haemorrhagia dentium per duodecim horas jam durante, sub cautelis supra jam enarratis, gummi arabicum non sine emolumento adhibui.

Haemorrhagiam narium plerumque vel natura, vel remedia usitata fistunt, attamen nonnunquam pertinax est et ut praefstringatur, valentiora postulat remedia. Medicis in his casibus thrombum linamentis carptis paratum, et ope fili turundae adfixi in nares immissum laudaverunt. Thrombi autem effectus augeretur, si pulvere cujusdam gummi inspergeretur, quod quoque testatur Celeb. REILIU<sup>S</sup> 26).

Dum vasa profundum vulnus acceperunt, praecipue usurpantur glutinantia, quae vulnera nec comprimi nec fasciis diligari possunt. His in haemorrhagiis conuli ex mollibus corporibus facti cum glutinosis remediis immischi haemorrhagiam felicius fistunt, quam simpliores compressiones. Clariss. REILIU<sup>S</sup> memorabilem observavit casum: miles nimirum in ante-

anteriori et media parte femoris majorem fortuito cultro arteriae femoralis ramum praeciderat. Gravissima exoriebatur haemorrhagia, quae compressionibus, linteis carptis aliisque resistebat remediis, donec glomus ex agarico factum et gummi arabico aspersum immittebatur, quo extemplo haemorrhagia reprimebatur.

§. 11.

Conglutinantia multarum partium haemorrhagiis sufflaminando sanguine opem ferre possunt. Huc referenda haemorrhagiae paracentesi abdominis ortae; vasorum offificatorum, quae neque ligari, neque perfecte comprimi possunt. Saepe contingit, ampla superficie vulnerata ex minoribus vasis hematophoris sanguinem effundi. Applicatum cum alio molli corpori gummi arabicum in hoc casu maximam praebet utilitatem. Haec vulnerum genera saepius contingunt in extirpationibus tumorum aliorumque morborum cutaneorum.

Inveniuntur in praxi chirurgica variis alii casus, quosque enumerare neque tem-

pus,



pus, neque limites dissertationis permittunt. Graviora autem dantur vulnera, quorum sanguinis fluxum glutinosa solum fistere nequeunt. Ars itaque chirurgica tempore ad perfectiorem gradum evecta his gravioribus haemorrhagiis per instrumenta validiora resistere experta est. Compressiones haemato-phorum adhibuit, quae subito omnem hujus partis circulationem sanguinis paestringunt.

## §. 12.

*Instrumenta compressoria.*

Instrumenta sic dicta compressoria vel omnem sanguinis circulationem partis cuiusdam tollunt, vel unius vasis fistunt, vel modificant. Torcularia inter omnia utilissima et celerrimo effectu praedita sunt.

## §. 13.

*Torcular* est instrumentum compressarium, quod circulationem sanguinis in parte quadam retinet, donec operationes necessariae pertractatae sint. Palliativum igitur est remedium et scopus ejus solummodo eo collineat,



lineat, ut sanguinis circulatio in quadam parte vel subito suffocetur, vel minuatur.

Certissimum autem hoc haemostaticum, exceptis singularibus casibus, solummodo in haemorrhagiis extremitatum applicari potest. Inventio ejus recentioribus temporibus adscribi debet, cum quidam chirurgus gallicus nomine MOREL, in obsidione Vesuntiacae urbi anno 1674 primum inveniret torcular<sup>27)</sup>. Postea torcular MORELLI a pluribus chirur- gis correctum est.

#### §. 14.

Duo sunt torcularium genera, quae in casibus torcular indicantibus adhiberi possunt. Dividuntur in 1) *Torcularia* sive dicta *bellica* (*Feldtourniquets*), vel 2) *torcularia cochleata* (*Schraubentourniquets*). Praeterea multa torcularia singulis partibus accommodata invenerunt: praecipua autem succincte enumerabimus.

#### §. 15.

Primum, ut jam supra dictum torcular MORELLI bellicis adnumerari solet. Quas tuor

27) *Porter histoire de l'anat. et de chir.* vol. III, p. 450.

tuor constat partibus: 1) ex fascia contorta, sive pulvinari coriaceo. 2) ex filo lato; 3) ex bacillo. 4) ex corii sive chartae glutinatae frusto.

## §. 16.

Torcular MORELLI sequenti modo imponi solet: fascia tortilis aut pulvinar coriaceum trium digitorum latitudine trunco arteriae imponitur. Hoc pulvinar fascia simplici eidemque correspondente et extremitate contorta adfirmatur. Tortilis haec fascia filo fortiori linteo obtegitur, et bacillo pulvinari opposito contorquetur. Ne autem bacillus pressione dolores excitet vehementes, subponitur ei vel frustum coriaceum, vel chartae glutinatae.

Hujus torcularis structuram et usum uberrime descripsit PETITUS (mém. de l'ac. des scienc. à Paris, a. 1718. p. 252.). Sed in ea machina desideratur stabilitas. Membro enim imposita fere vacillat, et leviter eommota protinus inclinatur.

## §. 17.



## §. 17.

Uſus torcularis indicatur:

1. In omni graviori haemorrhagia.
  - a. Brachii.
  - b. Antibrachii.
  - c. Femoris.
  - d. Cruris.
2. In amputatione harum partium.
3. In operatione anevrysmatis extremitatum.
4. In omnibus gravioribus vulneribus, quorum locus applicationem torcularis permittit.

## §. 18.

Torcular hoc gravissimum remedium caute adhiberi debet, ne noxios producat effectus. Vehementior enim et diuturna compressio graviores partium inflammationes adferre solet, quibus succedunt vel gangraena, vel nimia suppuratio. Lenior autem compressio sanguiniſtendo non par est, sanguis praecipue sub operatione protritus, chirurgum impedit quominus operari possit et vires aegroti exhaustit.

Dein.



Deinde post operationem torcular subito deponi non debet. Remedia cetera haemostatica ob arteriarum vim vitalem secunda non sunt. Deligata, sive agarico, vel bovista compressa arteria, experientia ducit, fascias summovere et compressiones atque novam excitare haemorrhagiam potest. Deposito nunc torculari quisnam evenitus? . . . Eandem ob causam necesse est, ut semper aliquis aegroto inserviens adsit.

Periculo haemorrhagiae remoto post aliquot dies torcular deponi debet.

§. 19.

Plures recentiorum Chirurgorum emendaverunt torcular sic dictum Morellianum, effectus autem ejus semper iidem manserunt. Eam ob rem solummodo adumbrare, nec totum describere instrumentum, mecum constitui.

1. LOESTEINIUS funiculum linteum tribus locis perforavit <sup>28)</sup>. Haec foramina bacillo transgressuro inserviunt.

2.

28) Neue Saml. für Wundärzte, St. XVIII. §. 7.

2. EHRlich torcular nobiscum bellicum  
communicavit, ex trabecula ferrea longi-  
tudinali et duobus frustis ligneis transver-  
sis compositum, quae cochleis juncta sunt  
utraque extremitate 29).

3. KRAUSIUS vitia torcularis Morelliani ita  
auferre docuit, ut crassius pulvinar arte-  
riae imponendum commendaret; praeterea  
frustum metallicum, sive ligneum, in quo  
bacillus torquetur, concavum esse debere  
censuit. Hoc enim eum praebet effectum,  
ut non omnia comprimantur vasa. Bacil-  
lum ligneum filis circa frustum metalli-  
cum protractis ligat: quae deligatio ba-  
cilli, ministri loco inservit. De hoc tor-  
culari sic loquitur: „Es wäre in der That  
der Mühe werth, sich bei Schlachten, wo  
oft eine Menge Unglücklicher Hülfe be-  
darf, mit einem Vorrathe solcher Werk-  
zeuge zu versehen, denn dasjenige Tour-  
niquet, welches PETIT erfunden hat, und  
welches sehr künstlich verfertiget und mit  
einer

29) Chirurg. Beobachtung. tab. II, fig. 5.

einer stehenden Schraube befestigt ist, ist zu theuer, als dass sich jeder Wundarzt mit mehreren solchen Werkzeugen versehen könnte. Ja die Schraube steht allemahl nicht sehr fest und unbeweglich, wenn sie nicht mit besonderem Fleisse verfertiget ist.“

4. Urgente periculō et consueto torculari deficiente, RICHTERUS 30) torcular ex templo componi jubet vel simplicissimum ex solea calcei, periscelide et frusto ligneo.  
 5.) STEIBELIUS 31) simile descripsit torcu-  
 lat,

#### §. 20.

Haecce enumerata torcularia praecipua sunt bellica. Manca priora praecipue erant, semper enim ambiguum sociorum auxilium, ut bacilli torqueantur atque continuo illos locis impositos teneant, requirebant; ambiguum sane auxilium; siquidem vi atque vo- luntati, auxiliantis socii liberum relinquitur, quemnam pressionis gradum inde exspectare

de-

30) Theil I. Wundärzneikunst. p. 522. tab II. fig. 4.

31) Steidle von den Blutflüssen, p. 48.

debeamus: saepe enim saepius contusiones atque dolores fuscitant, i qui evitari possunt. His rebus commotus PETITUS, sui aevi chirurgorum omnium gallicorum princeps, torcular commune ita correxit, ut cochlea bacilli loco id instruxerit.

## §. 21.

## Torcularia cochleata.

Primum omnium torcularium ejusmodi PETI-

TUS 1718 invenit. Ex septem partibus  
compositum est:

1. Ex ligno lato, femina dicta, (*Weiblein*) sensim convexo-concavo, longitudine quatuor digitorum et duarum linearum, latitudine digitorum duorum. Media hujus trabis pars perforata et dentata, eminet, ubi cochlea trajicitur. Cornua concava sunt, ne filum coriaceum excedat. Hamulis duobus acutis atque recurvis filo firmando inservientibus instructa est.

2. Ex ligno inferiori, cum superiori congruente (*mare, Männlein*). Haec autem inferior trabecula sex lineas longior praecedente est. Extremitatas suas ad eundem

C 2 usum



usum concavas invenimus: eminentem ejus superficiem planam videmus, qua inferiorem cochleae recipit partem.

3. Ex cochlea lignea. Haec quidem quatuor, vel quinque habet gyros, quorum unusquisque crassitudine gaudet quatuor, vel quinque linearum, ut eo celerius circumagi atque trajici possit. Haec cochlea praeter ansam, longitudinem duorum digitorum habet. Superficies inferior glabra atque plana est, et altiori respondet parti trabeculae: Cochlea haec lignea perpendiculariter perforata est.
4. Clavus ferreus, qui juxta cochleam descendit et trabeculae inferiori nititur.
5. Ex duobus pulvinaribus linteis, five coriaceis, quorum alterum in concava trabis inferioris superficie, alterum autem funiculo coriaceo tortili adfixum est. Hoc pulvinar trunco arteriae imponitur: illud autem huic pulvinari oppositum est.
6. Ex filo sericeo, five linteo, five coriaceo.
7. Ex frusto metallico illi filo accommodato, quod inter superficiem externam pulvina-

ris



ris et internam funiculi positum est. Hoc frusto efficitur, ut omnia vasa simul non comprimantur 32).

§. 22.

Hujus torcularis applicatio sequenti procedit modo. Pulyinari arteriae imposito, filum hamulis adfigitur, cochlea torqueatur, donec omnis sanguinis circulatio cessat. Hoc torcular truncum arteriae solum comprimit; ceteris vasis immunibus, contusio etiam ea ratione atque dolores vitantur. Sociis auxiliantibus in applicatione non egemus, et revertente haemorrhagia mox iterum machinam contorquere possumus. Morelliano itaque five sic dicto bellico postponendum est, quod trunco arteriae jam in superiore extremitatis parte diviso unus tantummodo comprimatur ramus, alter autem ramus gravorem excitare possit haemorrhagiam 33),

de-

32) Mémoires de l'Academie de Sciences, à Paris 1718.

Petit Traité des maladies chirurgicales, T. III.  
Tab. 58.

33) Le Dran Traité des opérations. p. 556.

Torcular PETITI postea a multis emendatum est, et plures chirurgi nova nobis dederunt torcularia; quaedam breviter recensebimus:

1. LASSAUZE' machinam novam ex PETITI et MORELLI torcularibus composuit 34).

2. Tornaculum GARENGEOTI *Petitianus* simile est 35). Quod vera cum pondere graviori incommodum sit, HAGEMEYERUS chirurgus Lipsiensis novam effinxit machinam, in qua funiculus tortilis ad trabeculae superiorem partem ope fibulae adigitur, quam quoque RICHTERUS effigie illustravit. (PLATNER inst. chir. §. 237.).

3. Tarcular FREEKIANUM. Hoc torcular mobilem continet pulvillum ligneum. Filum per fissuram mediae cylindri trajicitur. Duabus rotis instructum est 36).

4.

34) Roux journal de médecine, chirurgie et pharmacie l'an 1774. T. 41. Richter's medicin. chirurg. Bibl. Theil III. p. 221.

35) Garengeot, traité des instrumens. T. II. p. 278.

36) Perret l'art du courrier. p. 727., fig. 1. Pallas chirurgie §. 64, Tab. II.

4. STEIDELIUS cochleatum describit torcular, torculari FREEKIANO simile. Eo autem differt, quod solummodo una instrumentum sit rotula: praeterea clave, qua torqueatur et clauditur 37).

5. HEISTERUS in institutionibus chirurgiae proprium depinxit torcular ligneum atque cochleatum 38), quod caret pulvillo inferiori: sola fascia revoluta circa membrum infigitur hamulis, qui laminae superiore adfixi sunt.

6. RICHTERUS torcular cochleatum nobiscum communicavit, quod vel circulationem omnium extremitatis vasorum, vel unius trunci arteriosi suffocare potest 39). Trabecula superior plana est; nullum inferius pulvinar, sed funiculus tortilis inferiori loco fibula ornatur, cuius constringi potest.

7. Torcular MORANDI depictum invenimus apud GARENGEOTUM 40), Differt a Pe-  
titiano

a. Ia.

37) Lib. cit. Tab. I. f. 4 et 5.

38) Heister Lib. cit. Tab. II. fig. 12.

39) Richter Lib. cit. I Th. II Tab. fig. 3.

40) Lib. cit. p. 360. Tab. II.

- a. laminis superiore et interiore cum cochlea ipsa aurichalceis,
- b. cylindrulis ferreis, trajectis per laminam superiorem, laminae inferiori nitentibus, ut firmae sint, cum torquetur cochlea, laminae.
- c. in fasciae inferiori parte adfuso pulvillo, qui mobilis et separatus, est in Petitione.
8. Torcular *Savignyanum* descriptum atque depictum videmus apud ARNEMANNUM, Optimum is omnium esse censet 41).
9. Torcular *Savignyanum* quidam ZITTIER imitatus est 42).
10. Torcular BELLII, ex Freekiani correctione ortum. Lamina superior ab inferiore paullo remotior est: fascia trajicitur dupli- ci modo ab inferioris laminae trabeculis transversis ad trabeculas superioris laminae; pulvillus inferior nullus est, sed adstringitur fascia ope fibulae 43).

§. 24.

41) Arnemann Bibl. I B. II st. tab. I.

42) Caprano Diff. de tornacul. Moguntiae 1794.

43) Bell's Lehrbegr. d. Wundarzneyk, Th I Tab. I. fig. 13,  
Cf. Nannoni trattato di Chirurg. vol. IV. Tab. II.



~~conservatur Arnebach~~ §. 24.

Enumerata praegressis paragraphis torcularia secundum eorum structuram sanguinis fluxum in extremitatibus tollere possunt. Ars autem ingeniosa chirurgorum nonnulla invenit torcularia, quae quoque in aliis partibus sanguinis circulationem suffocant et haemorrhagias fistunt. Unumquodque horum torcularium certae corporis humani parti accommodaverunt. Limites hujus dissertationis descriptionem structuræ instrumentorum non permittunt, cumque et ipsa torcularium descriptio sine tabulis aeneis rem ipsam non satis illustrare possit, praecipua tantum enumerabo, et catalogum librorum de hac materia scriptorum enumerationi adjungam.

1. Torcular **HEISTERI** (§. 23. n. 5.) a **BERTRANDIO** 44) laudatur, ad haemorrhagias in capite et collo fistendas.
2. Torcular **BELLOCQUII** pro compressione arteriae intercostalis 45).
3. **LOTTERI** lamina compressoria eundem usum praestat 46),

4.

44) Bertrandi opere cerusiche, vol. III. p. 46.

45 et 46) Arnewmann's Uebers. d. chirurg. Instrum. S. 191.



4. TORCULAR BUTTERI ad sedandam haemorrhagiam arteriae temporalis 47).
5. BROMFIELDI torcular proprium ad suffocandam haemorrhagiam in amputando humeri articulo 48).
6. MOHRENHEIM torcular Bromfieldianum commendavit 49).
7. FOULQUIERIUS tornaculum invenit ad sistendam, trepanatione facta, finis longitudinis haemorrhagiam 50).
8. JOURDANUS proprium arteriae raninae torcular aptum depinxit.
9. DAHLII compressorium arteriae subclaviae in PLATNERI supplementis depictum invenimus 51).
10. Ad comprimendam arteriam cruralem in superiore femoris regione fauiciatam, quae applicationem torcularis communis prohibet, laminam adhibuit HEISTERUS metallicam ovalem 52).

47 et 48) L. c. S. 191.

49) Beobachtung E. I. Tab. I. fig. 6. 7.

50) Arnemann l. c.

51) Tab. III. fig. 3

52) Weiz Auszug aus Haller's chir. Disp. B. V. S. 96.

ii. Apud STEIDELIUM proprium quoque  
invenimus torcular ad compressionem arte-  
riae spermatica, instituta castratione, et  
compressorum ad cohibendam sanguinis  
profusionem ex arteria crurali 53).

§. 25.

Ustitutionibus torcularibus pertractatis  
cetera enumerabo haemostatica comprimen-  
tia. Plurima eorum paragraphis praecedentibus  
una cum conglutinantibus nominavi,  
ordinis autem causa repetam, quia et simpli-  
citer usurpari solent.

a) *Linamenta carpta* (Charpie, gezupfte  
Leinwand).

b) *Agaricum, Morandus, Moreaus, Richius*,  
in operationibus anevrysmatum praecipue  
laudant. WATSONUS et WARNERUS in  
sistendis haemorrhagiis satis eum praedi-  
care non possunt. RICHTERUS tamen  
praeferre spongiis et linteis carptis non  
audet 54).

c) *Bovista sive Boletus igniarius*.

d) *Spongia*

53) L. c. tab II. fig. 11. 12. p. 101. 104.

54) Richter's Wundärzneikunst. I Theil. pag. 234.

d) *Spongia marina*.

e) Πτύγματα, sive *Plagellae*, *Glomera*.

*Spleniu gradata* (Tampons), sunt linteis carptis confecta, varia magnitudine, que gradatim crescunt.

f) Sola saepius arteriae digitorum ope compressio sanguinis haemorrhagiam sistere valet. Antiqua sane methodus, quam ALBUCASIS jam magnopere commendavit 55).

RUYSCHIUS in observationibus chirurgicis exemplum narrat de suffocatione gravioris haemorrhagiae arteriae pudendae, sola digitorum compressione 56),

§. 26,

*Spongia*, *bovista*, *agaricus*, *splenia graduata*, linta carpta fauciatae arteriae impo- nuntur, et dum locus permittit, emplastris adhaesivis, sive fasciis affirmantur. THEDE- NIUS ipsi praefert subligationi arteriae methodum sequentem: *Glomus firmum* e lina- mentis carptis constructum, nucis avellanæ magnitudine, ori arteriae imponit: quod

glomus

55) Chirurg. lib. I. sect. 56. p. 105. (ed. Channing.)

56) Lib. cit. obs. 42.

glomus obtigitur plagellis gradatis pyramidis formā, quarum quaeque calami scriptorii crassitatem habet. (Neue Bemerk. und Erfahr. Th. I. S. 48.)

§. 27.

Tutissimum atque praestantissimum haemostaticum accurata constat arteriae ligatione cum filo cera obducto. Ad hanc instituendam operationem pluribus utimur instrumentis:

- 1) Filo cera tracto.
- 2) Acubus variis, quaeque omnes invenimus apud ARNEMANNUM 57).
- 3) Forcipibus structurae atque formae variae ad protrahendam arteriam.
- 4) Hamulis metallicis ad eundem usum.

§. 28.

Quamlibet ARNEMANNUS PARAEUM credit auctorem methodi, fauciatas arterias deligandi, nihil tamen certius est, antiquis jam temporibus in amputatione membrorum vasa delicata fuisse. Ita ASCLEPIADES Bithynus (100 ante Chr.) priusquam amputatur

57) Arnemann von den gebrächl. Instrumenten, S. 192.



tur membrum, suadet constringenda atque laqueo deliganda esse vasa, et in aliquibus totum membrum esse deligandum: postea quoque duplii linteo ea vasa esse praestrin- genda, e quibus sanguis fertur, deinde vero cauteria applicanda 58).

Post eum CELSUS venas, quae sanguinem fundunt, apprehendendas, circaque id, quod secum est, duobus locis deligandas, intercidendasque esse suadet, ut et in se ipsae coēant, et nihilominus ora paeclusa habeant 59).

GALENUS quoque praeter cauteria et stypticorum applicationem ad extractae arteriae subligationem configuit 60).

Quatuor modos sistendi sanguinem profusum ex arteriis profert ABU'L CASEM, compressionem nimirum, ope digitii, cauterium, stypticorum usum atque deligationem ope firmi filii 61).

Sic

58) Nicet. collect. veter. chirurg. c. XC. p. 154. (ed. Cocc.)

59) Cels. lib. V. c. 26.

60) Galen. meth. med. lib. V. 10. 5. 6. p. 62. 63. cl. VII.  
(ed. Fraben.)

61) Abulcas. chirurg. I. c.

Sic quoque GUIDO DE CAULIACO unciniis extrahit arterias, et filo sericeo subligat 62).

§. 29.

PAREUS invenit canaliculum fenestratum, quo acus teneri possent 63); FABRICIUS HILDANUS tenaculum, *rostrum ciconiae* dictum, quo arteria subliganda extrahi posset 64). nostris autem temperibus et acus et tenacula a BELLIO emendata praecipue usurpari solent. Acuum ope solarum deligatio multo plures excitat dolores, spasmos et alia incommoda, nonnunquam periculosa, quam dum diligamus ope laquei jam parati, postquam arteria ope tenaculi extracta fuerit.

§. 30.

Acum ipsam ita applicamus, ut vel carnem arteriae vicinam simul trajiciamus, quo facto carni ipsi imprimitur carina, solviturque filum ope acus trajectum; vel tenaculo

BROM-

62) Chirurg. tr. III. doctr. I. c. 3. f. 33. b. (ed. Venet. 1546. fol.)

63) Parei opp. p. 291.

64) Opp. p. 814.



BROMFIELDIANO aut BELLIANO arteriam solam prius extractam, solam devinciamus duplice filo atque nodum duplice chirurgicum constringamus. Opus tamen est laqueo lato atque praefrictiore medicari, ut solummodo sanguis sistatur. Prior methodus preferenda est, ubi aditus ad os arteriae non patet, aut dilatari nequit. Laquei fines debent linteo obtagi, ne cum carptis linamentis conglutinentur.

## §. 31.

Indicatur praeprimis subligatio, ubi fauciatus post operationem inops atque auxilio chirurgico expers jacet, ubi aditus ad vulneratum vas patet, et magna inprimis vasa laesa sunt. Laqueus deinde suppuratione sedicit. Dum vero laqueus applicatur, torcular semper simul adhibetur: applicato autem laqueo, paullulum solvatur, ut, effluante aliquid sanguinis ex fauciata arteria, videamus.

